

Zacharias Grape Petrus Clausson

Disputatio Ethica De Probitate

Rostochii: Kilius, 1667

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730579980>

Druck Freier  Zugang



RU phil 1667
Zacharias Erapius
Petrus Clausson

^{10.}
DISPUTATIO ETHICA
De
PROBITATE,

Quam,
Divinâ favente gratiâ,

PRÆSIDE
ZACHARIA
GRAPPIO,

S.S. Theol. Licent. Log.

Prof. Publ. & Facult. Phil. p. t.

DECANO,

Placidæ Philosophantium disquisitioni
publicè submittit

PETRUS CLAVSSON,
DANUS

*Die XIV. Septembr. in Auditorio majori,
horis matutinis.*



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. 1667.

DISPUTATIO ETHICA

PROBATA

AVTHORIS

ZACHARIA

GRÆGII

S.S. Theol. Licent. Log.

Prof. Libr. & Facult. Phil. p. c.

D. P. A. N. O.

Publice Philoſophiam diſputavit

publice ſubmittit

PETRI GLAVSSON

DANUS

De Xij. ſententiis in ſcholasticis majoribus

ſententiis tractatibus



ROSTOCKII

Typis Johannis Kühni & Spangenbergii



I. N. I. O.

SECTIO PRIOR ETHICÆ,

MEMBRUM I.

De Existentia Probitatis,

§. 1.



Domnium primum in quavis rerum cognitione, numquom res cognoscendæ acta sint & existant in rerum natura, nec ne? Frustrâ namq; in rebus cognoscendis desudamus, nisi prius illarum existentia nobis innoscat. Quam ob rem antè probitatis existentia declaranda, quàm ad realem ipsius cognitionem progredimur, & quid sit? exponimus.

§. 2. Quod verò probitas re verâ detur, probamus, quia
1. est virtus moralis, uti paulò post probatum dabimus. Jam virtus moralis est Ens reale, consentientibus omnibus ferè Philosophis, & Ens reale extra fictionem mentis verè datur in mundo. E. & probitas verè existit. 2. habet Objectum reale nimirum humana, in quibus appetitum rationalem, honestatem sectari, docet. Hoc objectum probitati esse specificum largitur, illamque à cæteris omnibus virtutibus verè distinguit. Quare: *Cuiusque formale reale s. realis*
▲ *differen-*

differentia specifica competit, illud verè existit, cum hæc rebus dei esse ac distingui. Atqui probitati &c. E 3, veras & realiter existentes sub se continet species à quibus verè ac formaliter abstrahitur ac menti idealiter considerata consistit. Quales sunt: Fortitudo, temperantia, liberalitas, modestia, justitia &c: Quæ sunt virtutes morales realiter existentes, juxta communem Ethicorum sententiam, & honestatem in humanis observant. Jam, speciebus verè existentibus, etiam illarum genus verè existit, cum hoc illarum quasi causa, illisq; naturâ prius sit. 4. Et scriptura & natura probitatis existentiam confirmant. *Natura* in quantum practica suppeditat principia, quæ humana quàm divina respiciunt, nimirum: Deus est colendus, parentes sunt honorandi, suum cuique tribuendum, nemo laudendus, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c. Vult itaque natura, ut non tantum piè ac sanctè in Deum, sed & probè ac bonè in proximum vivamus. Hinc talia cuiusvis indidit principia practica, quæ instar legis homini sunt, & ob id lex naturæ audiunt. *Scriptura* quatenus decalogum in duas dispescit tabulas, & unam Deo ac rebus divinis; alteram proximo ac rebus, humanis assignans, docet, quomodo & Deo & proximo debitum cultum præstare debemus. 5. Virtus moralis immediatè verè dividitur in pietatem & probitatem, uti multi Ethicorum probant, confer inter alios *Berskyng. l. 2. cap. 31. instit. Eth. Wendelinum l. 1. c. 6. Phil. mor. Alsted, l. 21. c. 6. Encyclopæd. Philosop. Senguerd, disp. 13, Colleg. Eth.* Ast divisio est rectorum verè ac realiter existentium, cum omnis genuina ac logica divisio nihil aliud sit, quàm distributio generis in suas species. Species autem rerum verè existunt, vel existere debent in suis individuis, cum aliàs non sunt species. Hinc argumentamur: *Membra dividentia verè ac logica divisionis verè ac realiter existunt. Pietas & probitas sunt membra dividentia verè ac log. divisionis, nempe virtutis moralis. E. 6.* Multi homines in mundo dantur, qui probi sunt, i. e. qui in humanis bonè ac honestè se gerunt. Quid igitur multis querendum, anne probitas existat, nec ne? Nam non opus est verbis ubi rectorum adsunt testimonia.

MEM.

MEMBRUM II.

De natura ac definitione probitatis.

§. 1. Certi jam de existentia prædictæ virtutis moralis, tutius in essentiam s. definitionem ipsius inquirere possumus, quid nam sit? *Est verò probitas virtus moralis, appetitum rationalem, ut in humanis se rectè gerere queat, perficiens, ad consequendum summum bonum prædicatum.*

§. 2. *Definitum est probitas, quod secundum Philologos derivatur ab adjectivo probus, & diversas sortitur significaciones. Sumitur a. 1. philologicè & quidem vel pro virtute morali communiter tali Hinc Solon, referente Stobæo Orat 37. svader: probitatem morum sui plus quàm iurijurando fidei est, habe: & Cicero libro de Amicitia: propter virtutem & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodam modo diligimus; vel pro verecundia, sic Salustius de Pompejo refert, quod sit oris probi, animo inverecundo; vel pro simplicitate animi, cum Curtius de Abdolonymo, qui, ex regia stirpe ortus, factus hortulanus, pronunciat: Causa ei paupertas, sicut pleriq; probitas erat; vel pro clementia, quo in sensu Cicero in epist. ad famil. l. 15. epist. 19. ad Cassium scribit: Spero enim homines intellecturos, quanto sit omnibus odio crudelitas, & quanto amori probitas & clementia; vel pro sinceritate, ita Cic. in Orat. pro Cn. Plancio: Virtus, probitas, integritas in candidato, non lingue volubilitas, non ars, non scientia requiri solet &c. confer, si placet, passim Lexicographos. 2. Theologicè, vel independenter, quo modo solus Deus bonus s. probus dicitur; vel pro virtutibus infusis: fide, spe, ac charitate, adeò, ut ille, qui ejusmodi virtutibus ornatus est, theologicè bonus ac probus habeatur; vel pro exactissima implectione præceptorum secundæ tabulæ 3. Juridicè pro observantia & non-violatione legum politicarum. Hinc & Jcti talem F proborum derivationem suppeditant: probi quasi prohibi, qui se à delinquendo prohibent, vid. Lexicon jurid. Calvini pag. 749. 4. Philosophicè & tum si eadem ac bonitas accipitur vel metaphysicè pro bonitate essentiali; vel physicè pro naturali; vel ethicè pro morali bonitate, contulè Metaphysicos, & quivoationem bonitatis evolventes. Ethicè verò rursus accepta-*

tar vel generaliter pro toto complexu virtutum omnium tam intellectualium quàm moralium; *vel specialiter* pro virtutibus tantùm moralibus. *Specialiter* porro sumitur, *vel propriè* pro tali virtute morali, quæ honestatem in humanis venatur; *vel impropriè* pro virtute morali, quæ circa divina versatur, illorumq; cultum tradit, quæque aliàs vocatur pietas. *Propriè* rursus accipitur *vel abstractè*, pro virtute morali, quæ à cæteris particularib⁹ virtutibus, circa humana occupatis, abstrahit, illarumque genus est; *vel contractè* pro certâ quâdam specie probitatis, fortitudine justitia, mansuetudine &c. *Item, vel actualiter* pro uno vel altero actû probitatis; *vel habitualiter* pro habituali operatione secundùm probitatem. Hinc nata locutiones ethica: *proba & probè agere, illud actum; hoc habitum* indicat. *Porro, vel abstractivè s. ratione essentia*, quatenus sine subjecto consideratur; *vel concretivè s. ratione existentia*, prout in certo spectatur subjecto. Tandem circa probitatis s. bonitatis æquivocationem notandum, quod & hi termini, quatenus pro æquipollentibus habentur, etiam in ethicis accipiuntur *vel affectivè* pro affectione tam generali virtutis moralis ut sic, quatenus abstrahit à pietate & probitate, quàm speciali nempe probitatis; *vel specificativè* pro certa quadam specie virtutis moralis, ut *probitas* dictâ. Quod si jam determinandum, quo in sensu in præsens acceperimus terminum probitatis, ad ferimus, quod illum ethicè & quidem non generaliter sed specialiter, propriè, abstractè, habitualiter, ratione essentia & specificativè sumamus.

§. 3. Synonyma grammatica Probitatis hæc sunt: *bonitas & honestas*, terminis istis *specialiter & specificativè* acceptis, pro tali virtute morali, quæ voluntatis humanæ actus circa res humanas rectè dirigit, ut honesti sint ac evadant. Nam ut ille, qui Deo verum præstat cultum pius appellatur: sic ille, qui in humanis talem, prout decet, se præstat, verè bonus ac probus audit. *Item, Justitia universalis, quatenus sumitur pro virtute, per quam nos in humanis rectè gerimus.* Sed alio in sensu cum accipitur justitia universalis, prout varix ac diversæ de justitia universalis sententia Philosopherum prostant, synonymum probitatis illam esse negamus.

§. 4. Quod attinet definitionem probitatis, constat illa *genere proximo & differentiâ specificâ, Genus proximum & adæquatum*

*ejus est, virtus moralis. Idque firmamus his argumentis. 1. Cui-
 tuncque competit definitio, illi quoque competit definitum. Atqui probi-
 tati competit definitio virtutis mor. E. Minor, cum major probatissimâ
 logicorum regulâ nitatur, sic probatur. Definitor virtus moralis
 adæquatè, quod sit virtus appetitum rationalem perficiens, ut bene a-
 gere, & S. B. practicum consequi possit. Sed hæc definitio V. M. pro-
 bitati verè congruit. Nam probitas etiã rationalem perficit ap-
 petitum, ne in humanis peccet, ac inhoneste agat, sed actus suos
 probitati semper conformet. Deinde & probitas bene agere, cum
 honestatem in rebus humanis sectetur, sanæque rationi & legi
 naturæ obœdite docet, quæ volunt, ut non modo in divinis sed &
 in humanis nos bene geramus. Tandem quoque probitas S. B.
 practicum consequitur, si non totale, tamen parziale, quippe
 qui in humanis bene versatur, etiã civiliter beatus dicitur, seu pa-
 catam fovet conscientiam, & optimam meretur famam. 2. Quod-
 tuncque inest voluntati tanquam subjecto, illud est virtus moralis. At-
 qui probitas &c. E. Major patet, quoniam virtus ideo moralis
 dicitur, quod mores hominum dirigat, & honestatis legibus subji-
 citur. Iam mores nihil aliud sunt, quàm actus voluntatis, Deinde
 habitus communiter dividuntur ratione subjecti in principales & in-
 strumentales. Principales iterum in intellectuales & morales.
 Morales nihil aliud sunt quàm virtutes morales, & ob id morales
 audiunt, quod voluntati insint, ejusque actus ad honestatem dispo-
 nant. Minor patet, cum primò probitas est *περὶ τὴν* s. bene
 agere, & S. B. practicum consequi monstrat, uti paulò antè proba-
 rum. At voluntatis est agere, velut intellectus est contemplari:
 voluntatis finis ultimus est S. B. practicum; uti intellectus S. B. the-
 oreticum. Deinde probitas actus voluntatis formaliter dirigit, ut
 honestatem in humanis consequantur. Hæc autem formalis dire-
 ctio sine reali in hærentia effici nequit. Tandem nec intellectui pro-
 bitas inest, cum tantum quinque habitus intellectuales communi-
 ter dentur: intelligentia, sapientia, scientia, prudentia & ars. E.
 voluntati inerit. Est enim probitas habitus mentis E. & illius
 facultatibus, quæ tantum duæ sunt: intellectus & voluntas, inexi-
 ster. 3. Q. parat S. B. practicum, illud est virtus mor. Atqui probi-
 tas &c. E. Major est vera. Nam uti virtus intellectualis S. B. theo-
 reticum,*

reticum, sic moralis virtus S. B. practicum intendit. *Minor* inde elucet, quod ex actione proba, velex operatione secundum probitatem hominis conscientia bona ac lata reddatur, ut quilibet experitur. Iam bona conscientia & honesta voluptas sunt effectus adæquati S. B. practici, & de sua adæquata causa np. S. B. practico testantur. 4. *Cuiusque affectio virtutis mor. verè convenit, illud est virtus moralis, cum proprium sit de essentia subjecti sui, & illud extracessentialiter necessario consequatur, atqui probitati competis affectio V. M. np. bonitas, quæ congruentia cum lege naturæ, volentis, ut & honestè in rebus humanis vivamus. Hinc & talia nobis innascuntur principia practica: justè vivendum, nemo lædendus &c. de quibus jam jam pluribus. E. probitas est virtus moralis. 5. Si fortitudo, temperantia, justitia &c. sunt verè virtutes morales, etiam probitas est virtus moralis. Sed verum est antecedens. E. & consequens. Connexio majoris declaratur, quia probitas verè abstrahit à fortitudine, temperantia, justitia & aliis virtutibus, quæ circa humana versantur, & per consequens probitas, justitia, fortitudo, temperantia & aliæ plures virtutes morales sunt subordinatæ species virtutis moralis ut sic. Jam quodcunque genus de una, sibi subordinata, specie prædicatur, illud quoque de altera prædicari debet, cum genus totam suam essentiam communicet omnibus suis inferioribus, ut inductio exemplorum & autoritas logicorum satis probant. Antecedens satis clarum est, nec ullâ indiget probatione, cum nitatur consensu omnium Philosophorum, rectè sentientium. Præter adducta argumenta & alia ab accidentibus & effectis virtutis moralis, qualia sunt: mediocritas, constantia in utraque fortuna, sinceritas, laus, honor, gloria, fama, benevolentia, nobilitas &c. desumpta, in medium adferre possemus. Verum quia rationes, ab accidentibus communibus & effectis inadæquatis petitæ, perquam, debiles, & modò probabiles, non demonstrabiles sunt, ab illis merito abstinemus, & allatas sufficere putamus.*

S. 5. *Differentia specifica ac formale probitatis est: persistere appetitum rationalem, ut bonè agere possit in humanis. Quod ex sequentibus innotescit. 1. Formales rationes habituum præcipuis desumuntur ab objectis illorum, ut inductio exemplorum confirmat. Sed persicere appetitum rationalem, ut bonè agere possit*

possit in humanis est objectum probitatis, ut mox edocebimus. 2. *Tò perficere appetitum rationalem &c.* dat esse, & distingui probitati à cæteris omnibus virtutibus moralibus, prout collatiu declarat. E. est ejus formale. Cùm formalis ratio rebus det & esse & distingui. 3. Uti *tò perficere appetitum rationalem in actionibus honestis, res divinas concernentibus, pietatem determinat ac specificat*: Sic è contrà *tò perficere appetitum rationalem in actionibus honestis, ad res humanas directis, specificat probitatem, siquidem oppositorum opposita sit ratio, præsertim formalis.* 4. *Tò perficere appetitum rationalem, ad actiones honestas in humanis exercendas, essentialiter, incompletè, concretivè, & quidem immediatè ac reciprocè de probitate, mediatè verò & non reciprocè de contentis sub probitate s. speciebus probitatis prædicari potest.* Rectè namque dico: probitas perficit appetitum rationalem in actionibus circa humana, ac honestatis leges transiliant. Et quicquid perficit appetitum rat: &c. est probitas. E. est ejus differentia specifica, cùm hæc requirat natura ac definitio differentia specificæ, ut ex logicis constat. Quid vero sit appetitus rationalis ex physicis perspectum est, & quid per humana intelligamus, paulò post explicabimus. *Perficere autem appetitum rationalem est, illum habitu probitatis afficere & exornare, ita, ut facile, perfectè & constanter secundum probitatem agere possit, ut exempla passim collecta, & in vita communi occurrentia multis comprobant.*

MEMBR. III.

De principiis probitatis.

§. 1. Uti Virtus moralis, in genere spectata, sua habet principia & essendi & cognoscendi. Sic & probitas eadem *vel cum ipsa communia, vel sibi propria habet. Essendi principia externa, nempe causam efficientem & finem cum virtute morali ut sic serè communia habet, Quem admodum enim efficiens principalis, universalis V. M. Deus est, & principalis particularis, remota: anima humana; proxima primaria: voluntas, & secundaria: intellectus humanus: Instrumentalis autem interna: actus interni tam intellectus, quam voluntati,*

vericum, sic moralis virtus S. B. practicum intendit. Minor inde elucet, quod ex actione proba, velex operatione secundum probitatem hominis conscientia bona ac lata reddatur, ut quilibet experitur. Iam bona conscientia & honesta voluptas sunt effectus adæquati S. B. practici, & de sua adæquata causa np. S. B. practico testantur. 4. *Cuiusque affectio virtutis mor. verè convenit, illud est virtus moralis, cum proprium sit de essentia subjecti sui, & illud extracessentialiter necessario consequatur. Atqui probitati competis affectio V. M. np. bonitas, quæ congruentia cum lege naturæ, volentis, ut & honestè in rebus humanis vivamus. Hinc & talia nobis innascuntur principia practica: justè vivendum, nemo laedendus &c. de quibus jam jam pluribus. E. probitas est virtus moralis. 5. Si fortitudo, temperantia, justitia &c. sunt verè virtutes morales, etiam probitas est virtus moralis. Sed verum est antecedens. E. & consequens. Connexio majoris declaratur, quia probitas verè abstrahit à fortitudine, temperantia, justitia & aliis virtutibus, quæ circa humana versantur, & per consequens probitas, justitia, fortitudo, temperantia & aliæ plures virtutes morales sunt subordinatæ species virtutis moralis ut sic. Jam quodcunque genus de una, sibi subordinata, specie prædicatur, illud quoque de altera prædicari debet, cum genus totam suam essentiam communicet omnibus suis inferioribus, ut inductio exemplorum & autoritas logicorum satis probant. Antecedens satis clarum est, nec ullâ indiget probatione, cum nitatur consensu omnium Philosophorum, rectè sentientium. Præter adducta argumenta & alia ab accidentibus & effectis virtutis moralis, qualia sunt: mediocritas, constantia in utraque fortuna, sinceritas, laus, honor, gloria, fama, benevolentia, nobilitas &c. desumpta, in medium adferre possemus. Verum quia rationes, ab accidentibus communibus & effectis inadæquatis petite, perquam debiles, & modò probabiles, non demonstrabiles sunt, ab illis merito abstinemus, & allatas sufficere putamus.*

S. 7. *Differentia specifica ac formale probitatis est: perficere appetitum rationalem, ut bonè agere possit in humano. Quod ex sequentibus innotescit. 1. Formales rationes habituum propriis desumuntur ab objectis illorum, ut inductio exemplorum confirmat. Sed perficere appetitum rationalem, ut bonè agere possit*

possit in humanis est objectum probitatis, ut mox edocebimus. 2. *Tò perficere appetitum rationalem &c.* dat esse, & distingui probitati à cæteris omnibus virtutibus moralibus, prout collatio declarat. E. est ejus formale. Cum formalis ratio rebus det & esse & distingui. 3. Uti *tò perficere appetitum rationalem in actionibus honestis, res divinas concernentibus*, pietatem determinat ac specificat: Sic è *contrà tò perficere appetitum rationalem in actionibus honestis, ad res humanas directis*, specificat probitatem, siquidem oppositorum opposita sit ratio, præsertim formalis. 4. *Tò perficere appetitum rationalem, ad actiones honestas in humanis exercendas, essentialiter, incompletè, concretivè, & quidem immediatè ac reciprocè de probitate, mediatè verò & non reciprocè de contentis sub probitate* s. speciebus probitatis prædicari potest. Rectè namque dico: probitas perficit appetitum rationalem in actionibus circa humana, ac honestatis leges transilienti. Et quicquid perficit appetitum rat: &c. est probitas. E. est ejus differentia specifica, cum hæc requirat natura ac definitio differentia specificæ, ut ex logicis constat. Quid vero sit appetitus rationalis ex physicis perspectum est, & quid per humana intelligamus, paulò post explicabimus. *Perficere autem appetitum rationalem est, illum habitu probitatis afficere & exornare, ita, ut facile, perfectè & constanter secundum probitatem agere possit, ut exempla passim collecta, & in vita communi occurrentia multis comprobant.*

MEMBR. III.

De principiis probitatis.

§. 1. Uti Virtus moralis, in genere spectata, sua habet principia & essendi & cognoscendi. Sic & probitas eadem *vel cum ipsa communia, vel sibi propria* habet. *Essendi principia externa, nempe causam efficientem & finem cum virtute morali ut sic serè communia habet.* Quem admodum enim efficiens principalis, universalis V. M. Deus est, & principalis particularis, remota: anima humana; proxima primaria: voluntas, & secundaria: intellectus humanus: Instrumentalis autem interna: actus interni tam intellectus, quam voluntati,

tatis, bona natura ac optimum temperamentum; & instrumentalis externa: honesta educatio, doctrina, suasio & dissuasio, bona exempla, externa actio & exercitatio, confer hinc inde Ethicos: Sic quoque probitas eadem sibi vindicat. Porro sicut finis V. M. est S. B. practicum, ita & probitas eundem respicit finem, nisi quod probitas S. B. practicum parziale; virtus a. moralis abstractæ talis S. B. practicum totale intendat, & ad obtinendum contendat. Nam qui probitatis habitum sibi comparavit, particulam tantum S. B. practici possidet, non totum S. B. practicum, siquidem pietas adhuc deest, quæ unâ cum probitate integrum absolvit S. B. practicum, uti sana dicitur ratio, & practica, nobis innata, suadent principia.

§. 2. *Interna principia essendi* propriè talia, *materiam* nempe ac *formam* probitas quidem non habet, cum sit qualitas, & habitus mentis humanæ. Interim formæ ac materiæ quasi vices ejus genus ac differentia specifica sustinent, prout communiter Philosophi de accidentibus & substantiis immateriae tis loquuntur.

§. 3. Principia cognoscendi probitatis incomplexa sunt ejus forma, effecta & proprietates. Complexa sunt hæc prima principia practica, nobiscum nata: Proximum ut se ipsum diligere, parentes colere, neminem lædere, temperanter vivere, justè agere, suum cuiq; tribuere, vim vi justo modo depellere, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c. Hæc omnia honestatem in rebus humanis aucupandam respicientia, vera probitatis, illiusque specierum fundamenta sunt, quibus illa superstruuntur. Pro ut hæc ex probitatis ac ejus specierum naturâ clariùs elucescunt.

MEMBR. IV.

De subjecto & objecto probitatis.

§. 1. *Subjectum* quo proximum & immediatum probitatis est *appetitus rationalis*, ut in definitione indicavimus. Est enim virtus moralis, ut ex prioribus constat: Omnis autem virtus moralis secundum accuratissimorum Philosophorum sententiam, firmis innixam rationibus, *immediatè* & *proximè* in voluntate s. appetitu

petitu rationali, residet. E. & probitatis subiectum QVO proximum voluntas erit. Deinde probitas ut habitus rationalem perficit appetitum, uti superius evictum, quod sine proximâ & immediatâ inhaesione fieri nequit, cum omnis habitus sit accidens. Accidens autem certum prærequirit subiectum, cui proximè insit. Tandem quoque probitas S. B. practicum efficit, quod voluntatem pro suo immediato agnoscit subiecto. E. eandem quoque tanquam suam postulat subiectum. Nam quale subiectum effectus adequatus s. per emanationem, tale quoque ejus causa occupat, ut exempla testantur. Sic cuicumque subiecto segregatio visus tanquam effectus adequatus albedinis inest, illi quoque inhaeret albedo. Et è contra: cuicumque congregatio visus inest, illi quoque nigredo inerit.

§. 2. *Subiectum QUOD* s. denominationis probitatis est totus ille homo, tali virtute præditus. Quicquid enim prædicatur de parte, illud etiam suo modo de toto prædicatur, juxta canonem Metaphysicum.

§. 3. *Objectum* probitatis est vel *internum* vel *externum*. *Internum* sunt actus voluntatis, quos præ primis moderatur, ne circa humana peccent, sed ubique honestati in illis se conforment. Nam uti virtus moralis in communi, quod & ejus appellatio præ se fertur circa actus voluntatis versatur, illosque dirigit, ne in vitia tuant. Sic & probitas tanquam vera species virtutis moralis idem præstat, cum genus totam suam naturam suis communicet speciebus. Deinde, quoniam probitas voluntati, ut jam probatum, subjectivè inest, etiam actus voluntatis non potest non habere pro objecto interno. Accidens enim primo in actus sui subiecti agit, illosque ad extrinsecum aliquod determinat. Sic doctrina tanquam accidens, hominis menti inhaerens, illius actus dirigit, & ad res extrinsecas existentes determinat, ut de illis doctè differere possit. Tandem & omnes virtutes morales, quotquot sunt ac dantur, appetitum rationalem s. voluntatem pro objecto interno agnoscunt, ut inductio exemplorum probat. E. & probitas, cum similitum similis sit ratio.

§. 4. *Externum* probitatis *objectum* sunt humana, per quæ in genere intelligimus omnia, quæ res humanas sive intra, sive extra hominem spectatas concernunt: sive humana illa sint substantialia

B

sive

siue accidentalia, tam intrinseca quam extrinseca, quovis modo hominem spectantia, ut ex divisione probitatis, jam proferenda, pluribus patebit. Quod vero humana, ita generaliter accepta, sint objectum externum probitatis, sequentes edoceat rationes. 1. *Quia* humana ista, abstracte sumpta, specificant probitatem, ac differentiam specificam probitatis inferunt. Atqui differentie specificae habituum, uti cuivis, illos accuratius expendenti, obvium, communiter ab illorum objectis desumuntur. E. humana sunt objectum probitatis. 2. *Quia* nulla virtus mor. adferri potest, quae generaliter, honestatem in humanis sectari monstrat, quam probitas. E. & concedendum, quod probitas habeat pro objecto, externe scilicet, res humanas. 3. *Quia* humana ista extra appetitum rationalem sunt posita, ut: somnus, honores, divitiae, cibus, potus, benefactores &c. E. & probitatis & illius specierum objecta externa dicenda. 4. *Quia* omnium specierum probitatis, ut illius divisio manifestabit, objecta externa, humana specialia sunt; sic fortitudo praeter primis mortem bellicam ut objectum externum respicit: Abstinencia cibum, Sobrietas potum, Castitas venerem, Modestia honores expetendos, Assiduitas laborem &c. E. & probitas merito sibi humana in genere tanquam objectum externum vindicat, cum a praedictis & multis aliis virtutibus moralibus, humana concernentibus, abstrahat.

MEMBR. V.

De opposito & divisione probitatis,

§. 1. *Oppositum & quidem contrarium probitatis, est improbitas, quae vitium morale, appetitum rationalem corrumpens, ne in humanis se recte & honeste gerere possit, ad consequendum summum malum practicum.*

§. 2. *Habet quidem probitas duplex oppositum, unum quod in excessu, alterum quod in defectu peccat, sed utrumque vitium unico effertur nomine, utrumque designante oppositum. Nec illud infrequens in Ethicis est, quod unius ejusdemque virtutis moralis extrema uno effertur termino. Sic injustitia & intemperantia iustitiae & temperantiae utrumque oppositum expriment.*

§. 3. *Improbitalis definitio ex collatione cum definitione*

ne

ne probitatis satis manifesta, cum opposita se invicem declarent ac illustrent. Ut enim probitas virtus moralis; sic é contra improbitas vitium morale. Uti probitas perficit, sic improbitas corrumpit appetitum rationalem, ita, ut in humanis semper malos actus edat. Quemadmodum probitate S. B. practicum parziale: ita improbitate S. M. practicum parziale consequimur.

§. 4. *Divisionem probitatis quod attinet, immediatè & adæquate dividitur in privatam, quæ conspicitur in humanis privatis, ac moderatur appetitum rationalem, vel in amore tum sui ipsius, ut: Philantia, sumto termino pro moderato sui ipsius amore; tum proximi, ut: Caritas. Vel in alimentis sumendis, ut: Abstinentia & Sobrietas. Vel in concubitu, ut: Castitas. Vel in somno capiendo ut Vigilantia. Vel in honoribus tam expectendis, ut: Modestia; quam offerendis aliis & quidem, aut omnibus, ut: Observantia; aut nonnullis nempe benefactoribus ac Mecænatibus, ut: Gratitude. Vel in opibus, & acquirendis ut: Studium honestè res parandi, ac Justitia commutativa; & possidendis, ut: Sufficientia; & conservandis, ut: Parsimonia; & erogandis, ut: liberalitas. Vel in sermone externo, partim proferendo, ut: Veracitas & Opportunitas, quam Alstedius Eulaliam & jucunditatem sermonis vocat; partim continendo, ut: Taciturnitas. Vel in conversatione, modò cum multis, ut: Comitatus, Urbanitas, Officiositas, Mansuetudo & Concordia; modò cum paucis, ut: Amicitia. Vel in labore, ut: Sedulitas. Vel in externis moribus & gestibus, cum generaliter, ut: Civilitas; tum specialiter, ut: Verecundia & Gravitas. Vel in fortuna, tam prosperâ, ut: Humilitas, quam adversâ, ut: Patientia. Et in publicam, quæ conspicitur in humanis publicis, dirigendo appetitum rationalem; vel in præmiis & pænis publicis decernendis, ut: Justitia distributiva. Vel in sustinenda morte bellica pro bono publico, ut: Fortitudo.*

§. 5. Quod hæc probitatis divisio sit adæquata, probatur, quia i. Instituta secundum diversa specierum probitatis objecta, præ primis externa. Iam vero habituum species, prout aliquoties monitum, pro diversis constituuntur objectis. Merito itaque probitatis species, cum & illæ habitus, juxta distincta objecta, quæ respiciunt, ordinantur adæquare. 2. Objecta ista omnia concernunt humana, ut collatio demonstrat. Ast probitas, uti dictum, appetitum ratio-

nalem perficit, ut in humanis honeste agat. E. Secundum huma-
na quoque divisio probitatis instituenda est. 3. Exhausta tota in
latitudinem divisi, seu, nec angustior nec latior est suo diviso. Nam
si humanae voluntatis actus in humanis dirigendi, ut bene operentur,
sunt dirigendi in praedictis rebus. Et licet plures aliae probitatis spe-
cies, quam quae modo recensitae sunt, appareant, & ab aliis pro ge-
nuiis illius speciebus vendicentur, certo tamen statuumus, illas ad
unam vel alteram harum specierum, à nobis allatarum, referri posse,
adeoque non opus esse, plures probitatis species addere. 4. Omnes fere
Ethici unanimiter consentiunt, divisionem virtutum moralium jux-
ta diversa ipsarum objecta inferendam esse, prout etiam Aristoteles
ita virtutes morales divisit. Quare cum & probitas sit virtus mora-
lis, omnium optime pro diversitate objectorum humanorum, illius
species supputantur. Et tantum de lectione rhetica.

SECTIO POSTERIOR ANTIÏETIKH.

MEMBR. I.

De existentia probitatis.

§. II. Dari probitatem, plurimi Philosophorum negant,
cum nullam ipsius in Ethicis faciant mentionem, itaque tacite pro-
bitatem ex Ethicis relegent. At sine fundamento, cum nul-
las fere suae negationis producant rationes. Hinc & simplici nega-
tioni simplicem quoque opponere licet negationem. Possunt quidem
sequentia obijci. 1. *Quod entia praeior necessitatem non sint multi-
plicanda, & virtutum numerus non sit in infinitum extendendus, uti
vult Pico lominem, gradu IV. c. 34. Philosoph. mor. Sed Resp. 1. distin-
guendo, inter multiplicationem rerum, quae nititur ratione ratio-
cinata & quae nititur ratione ratiocinante, sive quae sit cum & sine
fundamento. Illa admittenda, haec rejicienda, cum nil nisi entia
rationis seu non-entia inferat. Jam probitas non sine, sed cum
fundamento multiplicatur, quippe fundetur in suis inferioribus,
nempe virtutibus moralibus specialibus, quae humana pro objek-
tis habent, & ab illis tanquam genus vere abstrahitur non ratione
ratiocinante, sed ratione ratiocinata, siquidem occasio abstrahendi
ab ipsis*

ab ipsis rebus desumitur. 2. Distinguendo inter necessitatem
absolutam & conditionatam. Est quidem probitas haud necessaria
necessitate absoluta, ac si ceteræ virtutes morales sine illa planè nec
trahi nec excoli possint, sed est necessaria necessitate conditionatâ
cum reliquæ virtutes morales sine illa nec commodè nec ordine tra-
ctari queant, adeoq; sine illâ doctrina de virtutibus moralibus man-
ca & imperfecta sit. 3. Licet probitas ceteris moralibus addatur vir-
tutibus, haud tamen in infinitum numerus virtutum mor. crescit,
sed in se determinatus ac finitus permanet. II. *Quòd Aristoteles
hanc virtutem nec statuat nec doceat.* Resp. I. in genere, quod ar-
gumenta, ab autoritate humana desumpta, admodum debilia sunt,
quòdque à testimonio humano non nisi affirmativè argumentari
liceat. 2. In specie, quòd Aristoteles plura non attigerit, quæ
tamen necessario pertractanda sunt, uti per omnes disciplinas Phi-
losophicas fufius demonstrari posset, si tempus & occasio permit-
terent. III. *Quòd probitas & pietas unum idemque, sive gram-
matica sint synonyma, cum ille, qui pius, etiam probus sit.* R. Distinguendo
inter synonyma grammatica, apparentia & Philologica, item vera
& Philosophica. Videntur quidem pietas & probitas, philologicè
spectata, synonyma grammatica, sed non sunt, in sensu Philosophico
si considerantur; tum enim ut diversæ virtutis moralis species di-
stinguuntur, velut ex priori patet sectione. IV. *Quòd probitas mul-
tas in se contineat virtutes morales, adeoque sit ens per accidens.
Quòd si jam ens per accidens, sequitur, quòd non possit esse genus
respectu fortitudinis, modestiæ, liberalitatis &c. quippe quæ sunt en-
tia per se.* R. distinguendo inter materiale & formale probitatis
sive inter contractam & abstractam illius naturam. Quoad ma-
teriale quidem concedimus, quòd multa in se contineat, ut omne
genus solet, sed quoad formale negamus: tum enim simpliciter &
abstractè, non attentis illius inferioribus, consideratur. Quare-
nus autem descendimus ad illius inferiora, deprehendimus, illam es-
se multiplicabilem in plures species. V. *Sufficere, cognovisse forti-
tudinem, justitiam, temperantiam, liberalitatem & ceteras species
virtutis moralis, haud cognitâ probitate.* R. Distinguendo inter
cognitionem confusam & distinctam, ordinatam & inordinatam.
Cognosci quidem fortitudo, justitia, temperantia & liberalitas
possunt.

possunt, ac cognitione confusâ, non distinctâ. Jam verò prædictæ virtutes sub certam cadunt disciplinam nempe Ethicam. Hinc & distinctam requirunt cognitionem, cum omnis disciplina distinctè & methodicè tradi debeat.

MEMBR. II. De definitione probitatis.

§. 1. Definitionem probitatis, paucissimi tradunt, & quidem ex hac falsa hypothesi, quod probitas ut peculiaris virtus moralis non detur. Quam tamen hypothesin postquam hactenus removimus, tum existentiam probitatis aliquot evictâ argumentis, tum argumentis, in contrarium objectis, destructis, frivole definitio ejusdem à tam multis negligitur.

§. 2. *Senguerdus disput. 13. Colleg. Eth. Th. 1.* existentiam probitatis quidem adstruit, quando virtutem moralem immediate dividit in pietatem & probitatem, & utrique suum adsignat objectum, sed postea ejus definitionem inconsiderate omittit. *Cum tamen* omne ens verè existens, quale probitas à Senguerdio habetur, veram & actualem quoque postulet definitionem, præsertim nostræ subjectum cognitioni. Nos enim res sine adæquata definitione certò scire ac cognoscere non valemus. *Deinde Senguerdus c. l.* Certum probitati constituit objectum & insuper pietatem quodam modo definit. Cur itaque ex objecto probitatis tanquam futura differentia, & illius genere proximo integram probitatis definitionem non extruit, prout factum in pietate. Quæ enim ratio unius habetur speciei, eadem quoque alterius habenda est. *Tandem quoque Senguerdus, disp. 14. c. Collegiib. 2.* expressè fatetur, ad probitatem varias virtutis referri, nempe fortitudinem, temperantiam &c. Quare autem definitionem probitatis seu generis prædictarum virtutum non adfert, ut eo melius natura & essentia illarum innosceat. Quid juvat scire, fortitudinem esse probitatem, seu hanc esse illius genus, nisi prius constet, quid sit probitas. Hinc sequitur, definitionem probitatis à Senguerdio male & inconsiderate omitti.

§. 3. Ceteri

§. 3. Cæteri, quos vidimus, autores, licet probitatis adferant definitionem, inadæquatè tamen proferunt, ut ex sequentibus patebit. *Wendelinus l. 1. c. 13. Philos. moral.* hanc probitatis definitionem exhibet: *Probitas est virtus, per quam nos in humanis rectè gerimus.* Sed in illa (a) differentia generica nempe rō morale omiſſa, quæ tamen neceſſariò adesse debet, ut ipsum genus specificetur, definitio clarior evadat, omnisque æquivocatio eviretur. Nam primò, si genus probitatis, ita absolute ponitur, haud scire quis potest, anne probitas sit intellectualis, an moralis virtus, cum utrumque subintelligi possit. Iam verò omnis æquivocatio à definitione abesse, illaque verbis perspicuis ac distinctis, juxta logicorum monita, efferridebet. Porro genus absque sua differentia incompletum est, & imperfectè naturam suæ speciei explicat. Et si quis audit, probitatem esse virtutem, in illo tamen ejus intellectus haud acquiescit, sed ulterius scire cupit, qualis sit virtus, moralis, an intellectualis. Denique nec inusitatum Philosophis, in rerum definitionibus genericas simul adducere differentias. Sic definiturus quis Cælum in physicis, non sufficit attulisse ejus genus proximum nempe corpus unâ cum differentia ejus specifica, sed requiritur adhuc, ut adjiciantur differentia generica corporis, quod Cælum sit corpus naturale, simplex; itaque se res habet in cæteris: Et quod in hoc genere definiendi de una re valet, valet quoque de altera, & per consequens differentia generica in definitione probitatis haud negligenda. Et licet *Wendelinus* regerat: *ultrò patere, ex antecedentibus, se de virtute morali ejuque speciebus agere, adeoque rō morale facile sub intelligi posse: Præterea virtutem moralem non intellectualem spectare ad Ethicam; ergò, quoties in Ethicis mentio virtutis injicitur, intelligendam esse virtutem moralem.* R. tamen 1. in definitionibus nullam ellipsin adhibendam, sed omnia distinctè & completè exprimenda esse. 2. Omnem ellipsin esse periculosa, & nil nisi æquivocationem parere. Jam nulla, uti dictum, æquivocatio in definitionibus committenda est. 3. Molestum ac difficile præ primis tyroni esse, ad præcedentia recurrere, & ex illis definitionem probitatis complere; succurrendum itaque etiam tyroni, itaque omnibus satisfaciendum esse. 4. *Wendelinum, c. l. c. 31.* falsam fovere hypothesin, ac si virtutes intellectuales

lectuales non spectent ad Ethicam, licet d. l. concedat, habitus intel-
lectuales esse vere virtutes, itaque sibi contradicat, cum omnis
virtus spectet ad Ethicam: Quam ob rem quoque in hacce duas
communiter dividitur partes in *εὐδαιμονολογίαν* & *ἀρετολογίαν*;
sed de hac hypothesi alibi, (β) *differentia specifica* probitatis à
Wendelino non recte illata. Effertur enim illa *tum concretive*,
cum tamen omnis definitio abstractivè concipi debeat (siquidem
constet ex universalibus, quæ abstracta; & præterea non nisi uni-
versalia in disciplinis considerentur; quare & universalia univerſa-
liter seu abstractè definienda sunt) *tum actualiter*, cum tamen pro-
bitas sit habitus, & per consequens non actualiter sed potentialiter,
quippe superaddatur potentie naturali, efferenda. *Præterea*
nec oportet, aliquem continuo & nunquam interrupto actu exteri-
no secundum probitatem agere, siquidem probus in somno vere
est & manet probus, etiam si nullos probitatis actus extrinsecos edat.

§. 4. *Alstedius cap. 19. libr. 21. Encyclopæd. Phil.* sic definit
probitatem: *Probitas est virtus, respiciens hominem.* Sed & hæc de-
finitio maxime *inadequata & equivoca est.* *Inadequata est re-*
spectu utriusque differentie tam genericæ quàm specificæ. Nam
primò differentiam genericam veram nempe *τὸ morale*, quæ tamen
maximè desideratur, ut ex jam dictis constat, omittit, & falsam,
τὸ directum esse subnectit. Quod autem probitas non sit virtus
directa, probamus, *quia* 1. probitas non opus habet ulla directione,
sed per se satis sufficiens est ad perficiendum appetitum rationalem,
ut honestè in rebus humanis agere possit, velut ex actu secundo ma-
nifestum. 2. Si probitas est virtus directà, habebit se ut instrumen-
tum; causa namque principalis & instrumentalis sese ut dirigens &
directum respiciant, ut ex Metaphysicis constat. At absurdum,
quod probitas sit instrumentum, cum porius sit forma accidenta-
lis, superaddita potentie naturali. Forma verò non est efficiens cau-
sa, sed eidem contradistincta, adeoque nec causa instrumentalis, si-
quidem causa instrumentalis à Philosophis inter causam efficien-
tem referatur. 3. Nulla propriè dicta dirigens virtus moralis da-
tur. E. nec directà. Nam quas Alstedius virtutes morales dirigen-
tes nempe prudentiam & justitiam universalem, adducit, illæ improp-
riè tales sunt. Sic *prudentia* non est virtus moralis, sed intellectuales
nec

nec per se alias virtutes morales actu semper dirigit, quippe multa dicitur prudentia, quæ non exsequitur voluntas. Hinc illud effatum incontinentis: meliora video proboque, deteriora sequor. *Justitiam universalem* quod attinet, nec illa, prout Alstedio definitur: *quod sit virtus, obligans hominem ad obedientiam omnium virtutum & legum, virtus moralis, nec virtus, dirigens cæteras, est.* Virtus moralis non est, sed potius, accuratè loquendo, est ipsa lex naturæ, quæ propriè nos obligat ad obædientiam omnium virtutum. Atqui lex naturæ non est ipsa virtus moralis, sed potius illius norma. Deinde justitia universalis juxta mentem Alstedii est ens aliquod complexum & per accidens, cum respiciat omnes virtutes morales, illasque in se contineat. At virtus moralis non est ens complexum & per accidens, sed ens incomplexum & per se, quoniam unum præbet conceptum, & ex multis extræssentialiter unitis non constat: *Nec virtus moralis dirigens est, partim, quod ipsa prudentiâ dirigi debeat; partim, quod sit totum aggregativum, ex multis constans virtutibus.* E. nec virtus dirigens, Consequens manifesta; cum omne dirigens prius esse debeat directo. Sed universalis justitia non est prior, sed posterior virtutibus directis, cum ex illis, quasi partibus conitet, & partes toto priores sint; nam illud componunt; *partim, quod si obligat hominem ad obædientiam omnium virtutum, etiam hominem ad obedientiam sui ipsius obligabit, (cum & ipsa sit virtus) & per consequens se ipsam quoque diriget.* E. nec simpliciter dirigens sed & certo modo directæ erit. *Insuper etiam Alstedius in differentiam specificam probitatis peccat. Nam 1. id respicere hominem, tanquam formale probitatis, respectivum infert formale, & per consequens ens respectivum.* At probitas est ens absolutum, cum sit qualitas, quæ secundum Philosophos accidens absolutum audit. 2. Probitas non tam hominem quam humana pro objecto habet, uti jam jam declarabimus. E. nec hæc verba: *respicens hominem*, probitatem specificare possunt. 3. Formale hoc probitatis etiam aliis rebus ac virtutibus, nempe scientiæ & prudentiæ convenit. Sic scientia etiam hominem in physicis respicit, multa que de illo demonstrat; & prudentia hominem, seu actiones humanas respicit, illasque ad honestatem dirigere conatur. E. proprium non erit probitati, cum tamen omne formale rei proprium esse, illamque à cæteris omnibus rebus in mundo distinguere debeat. *Equivoca hæc definitio alstediana est.* Nam primò non constat, qualis virtus probitas, an moralis an intellectualis. Deinde & hæc verba: *respicens hominem* amhibe-

ambiguitatem capiunt, seu ambiguum inferunt, sensum. Vel enim subjectum, vel objectum probitatis designare possunt. Tandem illius differentia specifica multis rebus, ut paulo antè monstravimus, communis est.

§. 5. Berckringerus l. 2. c. 33. instit. Eth. talem probitatis definitionem tradit: *Probitas est virtus moralis, seu acquisita more, per quam nos in humanis rectè gerimus, & quidem vel erga nos ipsos, vel erga alios.* Quæ æquè, ut præcedentes & Wendelini & Alstedii definitiones, suâ laborat imperfectione, seu potius, ut ita loquamur, in adæquatione. Siquidem 1. Malè explicatur rø morale, ac si à more s. consuetudine descendat, cum rectius à moribus, qui sunt actus voluntatis, derivetur; eò quod virtus moralis mores hominum s. actus voluntatis humanæ moderetur, ut honestati conformes fiant. Quinimò si rø morale hoc loco idem, ac more acquisitum, virtutem ut sic specificare, seu distinctam virtutis speciem, contradistinctam virtuti intellectuali, inferre nequit, cum & virtus intellectualis more seu consuetudine acquiratur. Iam verò in scholis Ethicorum jam tum obtinuit, quod rø morale & intellectuale sint differentia opposita virtutis abstractè talis, & distinctas virtutis species constituent. Quod si verò rø morale intellectuali verè opponitur, eidem simul tribui nequit, cum impossibile sit idem simul esse & non esse. Quare Berckringerus rø morale, quatenus certam virtutis speciem, intellectuali virtuti oppositam, efficere debet, falsò per more acquisitum interpretatur, illudque in definitione probitatis loco differentia genericæ ponit. 2. Perperam hæc definitio, uti Wendeliniana, & concretivè & actualiter proponitur, qua de re præcedenti §. 2. egimus. 3. ἀναδεύτως hæc verba: *& quidem vel erga nos ipsos vel erga alios*, definitioni probitatis inseruntur, cum illa divisionem probitatis respiciant, uti prædictus autor in fine cap. 33. c. l. satis innuit, annuitq;. Jam divisio cum definitione haud confundenda, quippe quæ diversæ notiones secundæ logicæ, Aliàs enim rerum essentialium non declarantur, sed obscurantur. Sic malè homo definitur; *quod sit animal vel rationale vel irrationale*. Argumenta pro suis definitionibus allegati jam autores nulla proferunt: Quapropter & illorum resolutione merito superscedemus.

MEMBR. III.

De principiis, subjecto & objecto probitatis.

§. 1. Admirandum, nec satis demirandum est, quod autores illi, quorum

quorum paucissimi, qui probitatem veram ac peculiarem virtutis moralis speciem æstimant, tam frigide illam pertractent. Vix enim aliquali ipsius definitione prolata, orationem abruptum & nullatenus allatam explicant definitionem. Nihil porro de principiis; nihil de subjecto, nihil denique de objecto probitatis specialiter memorant. Cum tamen non sufficiat simpliciter & obiter aliquid recensere, sed & illustrare & argumentis firmare deceat. Non enim levissimum ac puerile, sed arduum sane ac virile est, rerum definitiones tradere. Idcirco illæ & exquisitè pensandæ & accuratius explicandæ sunt, ne magis involvere, quam evolvere rerum essentias videamur.

§. 2. Quod verò de principiis, de subjecto & objecto probitatis agendum sit distinctè, sequentia docent. 1. Faciunt hæc ad majorem probitatis & declarationem & existentie confirmationem. Res enim quæ hoc modo per sua principia, subjecta & objecta cognoscuntur, clariores & intellectu faciliores redduntur. Quinimo quæcunque vera habent principia, certum subjectum, & distinctum objectum, illa quàm maxime sunt & existunt. 2. Probitas est objectum directum, licet parziale, certæ ac distinctæ disciplinæ, nimirum Ethicæ. E. & distinctè tradi debet, quoniam illa, quæ disciplinarter tractantur, accuratius expendenda sunt, ut distinctam, non confusam, pariant cognitionem. Arqui res præprimis accidentia haud melius ac distinctius cognosci possunt, quàm per sua principia, subjecta & objecta. Nec quicquam valent objectiones, quæ in contrarium adferri possunt. Quarum 1. *Probitatis essendi principia eadem esse cum principis essendi virtutis moralis ut sic, cum illa huic subordinata sit, adeoq; non opus esse speciali principiorum probitatis tractatione ac repetitione.* Resp. 1. Distinguendo inter convenientiam aliqualem & omnimodam. Conveniunt principia essendi probitatis aliquo modo, non per omnia cum principis essendi virtutis moralis ut sic, quemadmodum ex membr. 3. prioris sectionis patet, 2. licet probitas subordinata sit virtuti morali abstractè tali; non tamen sequitur, quod ideo cum illa per omnia conveniat; siquidem illi ut suo generi tantum subordinata sit, iam notum, quod genus & species non sint idem sed formaliter distinguantur. Hinc, variato formali, & ipsa principia essendi quodam modo variantur, & ad illud formale terminantur, ut rerum collatio illustrat. 1. *Doctrinam de principis cognoscendi non ad Ethicam, sed ad aliam generaliore spectare disciplinam, E. nec in Ethicis pertractandam esse.* Resp. distinguendo inter actum signatum & exercitum. Non in actu signato.

Signato f. definitivo, resp. cujus ad generaliore[m] spectant disciplinam,
 sed in actu exercito f. applicativo, de principiis cognoscendi hic agimus,
 siquidem illa ad ipsam probitatem determinamus. III. *Probitatem idem
 cum virtute morali ut sic habere subjectum n[on] appetitum rationalem E. nec
 de illo specialiter agendum esse* Resp. distinguendo inter subjecti probi-
 tatis, quod idem cum subjecto virtutis moralis universalis, cognitionem
 & illius ad certum objectum determinationem; non cognitionis sed de-
 terminationis ergo subjectum probitatis hic considerandum. IV. *Ob-
 jectum probitatis in eius definitione implicite contineri; quippe differentiam
 specificam illius constituat. E. Resp. distinguendo inter generalem, confu-
 lam & superficialem objecti predictæ virtutis cognitionem & specia-
 lem distinctam & accuratam ejusdem tractationem & explicationem.
 Non illa sufficit; sed hæc maxime requiritur. Nec ulla consequentia: ob-
 jectum probitatis in ipsius definitione continetur. E. specialiter non de-
 bet tradi & explicari, cum potius omnia, quæ in definitione continen-
 tur, exquisitissime pensanda sint.*

§. 3. Objectum probitatis *Senguerdus c. l. hominem ponit. Virtus
 moralis, inquit, dividitur in pietatem, & probitatem, quarum illa pro obje-
 cto habet Deum; hæc hominem. Verum*, quod homo non sit adæquatam
 probitatis objectum, his adstruimus rationibus. 1. quia homo potius
 subjectum, denominationis, quam objectum probitatis, confer membrum
 IV. prioris sectionis. 2. quod non omnia specierum probitatis objecta,
 externa nempe, sint homo. Sic somnus, alimenta, divitiæ f. opes, hono-
 res, gestus &c. non sunt homo, sed hominis, & rectius humana quam
 homo dicenda. Cum itaq; probitas à suis speciebus abstrahatur, etiam
 tale probitatis objectum constituendum, quod omnibus & singulis spe-
 ciebus commune sit. 3. quia sic objecta specierum probitatis mera forent
 substantialia, quoniam homo substantia, quod absurdum, ut ex collatio-
 ne apparet.

MEMBR. IV.

De Opposito & divisione probitatis.

§. 1. De probitatis opposito supra §. 2. 3. 4. & 5. *Membr. II. hujus Sectionis in sco-
 nam producti autores nulla faciunt verba, nec illud quicquam curant. Cum
 tamen quælibet virtus, & moralis & intellectualis, sua habeat opposita; & oppo-
 sita, juxta se posita, magis elucescant. Deinde autores hi, pietatis, tanquam spe-
 ciei oppositæ probitatis, & cæterarum virtutum moralium, probitati subje-
 ctarum, opposita pertractant, cur igitur oppositum probitatis planè negligit
 anne similitum similis ubiq; ratio? Tandem, quomodo quæso specierum probi-
 tatis opposita per proximum genus definituri sunt, quando probitatis oppo-
 situm nec meminerunt, nec illud quovis modo explicant. Non enim Audacia pro-
 ximè per vitium morale, sed per improbitatem definienda, secundum quoque
 mentem, p[er] illud, quod est oppositum, &c.*

§. 2. Nec in divisione probitatis defensores illius conveniunt, nec commodè & adæquatè illam tradunt. *VVendelini*, quæ l. 1. c. 12. & seqq. Phil. mor. continetur, quod attinet, illa maximè inadæquatè, tum respectu differentiarum specificarum. Omnis enim virtus per se & intrinsecè ad habentem illam s. ad nos ipsos refertur; per accidens autem & extrinsecè ad alios. E. probitas malè dividitur à *VVendelino* in relatâ ad nos ipsos & ad alios, cum omnis divisio resp. intrinsecè divisi essentia: efferenda. Porro omnes quoque virtutes cum laude nostra sunt conjunctæ, siquidem omnis virtus in se laudabilis, omnesq; probitatis species aliorum, nempe proximi fructum ac salutem respiciunt, prout altera decalogi tabula, quæ nil nisi probitatis species comprehendit, quævis edocet. E. incongruè rursus probitas ad alios relatâ subdividitur à *VVendelino* in illam, quæ cum nostra laude, & quæ cum aliorum fructu est conjuncta: Tum respectu ipsarum specierum probitatis. Nam primò aliæ plures dantur species probitatis, quàm à *VVendelino* adferuntur, utpotè: Philauria, Vigilantia, Observantia, studium res honestè parandi, Sufficiencia, Opportunitas in loquendo, Officiositas, Concordia, Sedulitas, Humilitas, vid. §. 4. Membr. V. prioris sect. Deinde multæ species probitatis inadæquatè sibi subordinantur. Sic magnanimitas & patientia malè referuntur ad fortitudinem, cum Magnanimitas secundum Ethicorum ferè omnium sententiam pro objecto habeat honores magnos, non res arduas & periculi plenas & Patientia non tam in morte bellica, quàm, accuratè loquendo, Fortitudo pro objecto habet, quàm in adversis extra bellum spectetur. Sic quoque Continentia, cum sit Semivirtus, malè distincta temperantiæ species constituitur, ac ita adæquatè subdividitur in Sobrietatem & Castitatem, cum omittatur Abstinentia, quæ appetitum rationalem circa cibum capiendum moderatur: Sobrietas enim, propriè loquendo, circa potum appetitum rat. dirigit. Item incommode Liberalitas speciebus Charitatis annumeratur, quia Liberalitas non amorem proximi, sed opes, quatenus erogandæ, pro externo habet objecto. Fluit quidem liberalitas, ut plures aliæ virtutes ex Charitate proximi, interim non sequitur illam hujus speciem esse. Vltimò inconvenienter etiam Innocentia, Observantia, Voracitas & Gratitude inter species Iustitiæ communis referuntur, quippe nec iustitia talis communis pro speciali virtute, sed potius pro principio quodam pratico habenda, nec prædictæ virtutes, haud alio modo subordinantur Iustitiæ, quàm quo subordinantur Charitati, nempe generalissimè ac nimis latè

§. 3. *Alstedii*, confer l. 2. c. 9. & seq. *Encyclopæd. illius Phil.* divisio probitatis quæ ut *VVendelini* inadæquatè est, tum ratione differentiarum specif. siquidem primò in sensu *Alstediano* nulla probitas simplex, sed suo modo conjuncta est: probus enim, non sibi tantum, sed & aliis probus esse debet. Deinde quare probitas non in relatam ad nos ipsos & ad alios dividenda sit, paragrapho proximè præcedenti diximus: Nec probitas moderatrix cupiditatis & affectus multum differunt, sed unum idemque sunt, vel etiam terminus cupiditatis cum termino desiderii coincidit. Hinc probitas ad nos relatâ juxta mentem *Alstedii* non in moderatricem cupiditatis & affectus subdividenda. Tum ratione ipsarum specierum. Nam & quædam probitatis species, ut: Charitas, & Observantia ab ipso negliguntur. Deinde quoq; nonnulla species incommode suo subjiciuntur generi. Nam Clementia non ad Mansuetudinem, sed ad Iustitiam distributivam, quippe quæ modum in vindicando ac puniendo servat, pertinet: Nec Concordia cum Amicitia conjungenda, s. hæc duo pro una virtute habenda, cum distincta habeant objecta, vid. §. 4. Membr. 5. sect. 2. et. Nec Fortitudo suscipiens com-

4. Berckring. l. i. c. 33. *inst.* *Es* itidē approbat divisionem probitatis in relatā ad nos & ad alios, quā antē removimus; & subdividit probitatem ad nos relatam, quod occupetur vel univēse magis circa passiones; vel univēse magis circa operationes. Verū nulla virtus in or. pro objecto habet passiones & affectus, cūm aliās & in bruta caderet, quod absurdum; nec in super passiones, formaliter considerat, vel bonæ vel malæ sunt, sed pro inordinatione appetitus rationalis per accidens vel bonæ vel malæ fiunt. *Præterea* non quædam, uti vult Berckringerus, sed omnes virtutes morales circa operationes occupantur cūm omnis virtus requirat operationem & actionem. Tandem Berckringerus unā cūm *Sanguerdio* disp. 14. *Et seqq. Colleg. Esb.* tantū communes virtutis moralis species; quæ ab Aristotele traduntur, probitati adsignat, itaq; divisionem probitatis maximē inadæquatā reddit, ut constat ex §. 4. *memb. V. scilicet.* prioris Et tantum hac vice de Probitate. Sint Deo elementissimo laus honor & gloria, per omnia secula

E *Se probi cupiunt multi; vel fortē videri:
Nec quid sit Probitas norunt, nec nosse laborant.
Est aliter dudum sentis, doctissime CLAVSSON:
Nam totus Sophiæ studiis immersus; & illud
Anxius inquiris, Probitas quid, quæque requirit?
Atque simul doctē cathedrā defendis in aliā.
Nec modō naturam Probitatis noscere gestis,
Sed quoque desudas ad eam componere mores.
Virtutem sic nosse decet, cultamque fovere.
Instes, mi CLAVSSON, probitati adfucere multum,
Et magnas referes laudes famamque perennem.
Sin mavis, & lauru cingeris tempora circum.*

Hicse Pereximio, doctrinā ac probitate Præstantissimo
DN. RES PONDENTI, Amico ac Domestico suavissimo de publico eruditionis Philosophica specimine, & probitate optime cultā, ex animo gratulari, & prospera quæque precari voluit, debuit. PRÆSES.


Improbata sic damnas, Clausson, probus esse, laboras
Dum vitā & scripto de probitate doces.
Celerrimē scrib.

M. GEORGIUS CALOVIUS, Regiomont. March.

Nemo potest melius Probitatis dicere laudes, *Est candore suo cunctis cupit ipsa probari,
Quam quā naturā sit probus ipse suā. Et semper fraudes insidiasque fugit.*
Nota mihi probitas Tuā nuper, dulcis amice, *Hanc amplexus, vbes, restor, Probitas Tibi
Teq; proinde Tuā cum probitate probō. cordis est,*
Dicitur hoc aliās, Probitas laudatur & alget, *Quibus & hæc Tibi de probitate
Sed neq; divitiis ipsa cupit Probitas; favet.*

Florentissimo Dn. Respondenti in honoris & amoris
cesseram, sic applaudit
Ioh. Theodorus à Giltsh. Osnab. Westph.





quorum paucissimi, qui probitatis
ralis speciem estimant, tam frigid
ipsum definitione prolata, oratione
explicat definitionem. Nihil po
hil deniq; de objecto probitatis
sufficiat simpliciter & obiter aliqu
mentis firmare deceat. Non enim
sane ac virile est, rerum definitione
pensanda & accuratius explicat
evolvere rerum essentias videamus.

§. 2. Quod vero de principiis
gendum sit distincte, sequentia de
bitatis & declarationem & existe
hoc modo per sua principia, subje
& intellectu faciliores redduntur
principia, certum subjectum, & d
me sunt & existunt. 2. Probitas
certa ac distincta disciplina, nim
bet, quoniam illa, quae disciplina
sunt, ut distinctam non confusan
primis accidentia haud melius ac
per sua principia, subjecta & obj
nes, quae in contrarium adferri p
principia eadem esse cum principia e
subordinata sit, adeoq; non opus esse
one ac repetitione. Resp. 1. Distin
lem & omnimodam. Conveniunt
modo, non per omnia cum pri
quemadmodum ex membr. 3. prio
ordinata sit virtuti morali abstrac
cum illa per omnia conveniat; s
ordinata sit, iam notum, quod
maliter distinguantur. Hinc, va
quodam modo variantur, & ad
collatio illustrat. I. Doctrinam de p
ad aliam generaliore spectare disc
esse. Resp. distinguendo inter actu

eculiarem virtutis mo
tent. Vix enim aliquali
& nullatenus allatam
is; nihil de subjecto, ni
orant. Cum tamen non
& illustrare & argu
c puerile, sed arduum
circo illa & exquisita
magis involvere, quam.

objecto probitatis a
hac ad majorem pro
tionem. Res enim quae
agnoscuntur, clariores
haecunque vera habent
ctum, illa quam maxi
irectum, licet parziale,
& distincte tradi de
accuratius expendenda
tionem. Atqui res pra
gnosci possunt, quam
quam valent objectio
um. I. Probitati essendi
oralis ut sic, cum illa huic
orum probitatis tractati
onvenientiam aliqua
endi probitatis aliquo
virtutis moralis ut sic,
et. 2. licet probitas sub
nen sequitur, quod ideo
uo generi tantum sub
non sint idem sed for
& ipsa principia essendi
terminantur, ut rerum
endi non ad Ethicam, sed
in Ethicis pertractandam
exercitum. Non in acta
signato.

